

Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide & dilectione, quae est in Christo Jesu. Ubi autem iniquitas abundaverat: statim ut credidi, amplius cepi diligere Christum, qui mihi magna peccata dimisit.

Fidelis sermo & omni acceptione dignus. Quem omnes credant, & omnium conscientiarum verum esse cognoscant.

Quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Ergo & me salvavit inter ceteros peccatores: tunc enim merito mihi praedicatorum, si solos iustos vocare vellet.

Quorum primus ego sum. Hic, sum, pro fui, ponitur: sicut Matthaeus dicitur publicanus, cum jam Christi esset Apostolus.

Sed ideo misericordiam consecutus sum. Ut David ait: Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur. Si mihi viderint indulta peccata, tunc docebo neminem desperare debere.

Ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam. Qui etiam persecutoribus conversis non solum indulget, sed etiam confert apostolatus honorem.

Ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam aeternam. Ad exemplum, ut ne desperent.

Regi autem saeculorum immortalis, invisibili, soli Deo honor & gloria in saecula saeculorum: amen. Qui mihi veniam tribuit non merenti. Rex enim parvi temporis & mortalis, ac visibilis, & capax consortis, honorem & gloriam temporalem habere potest, non tamen sempiternam.

Hoc praecipuum commendo tibi fili Timothee. Hucusque de statu suo, quomodo adversarius responderet: hinc dat auctoritatem ordinandi, docendi: quaeque praecipua sunt commendata.

Secundum precedentes in re Prophetias. Secundum quod etiam ante hoc officium habebas gratiam prophetandi.

Ut milites in illis bonam militiam. Bona militia est, in qua contra diabolum & vitia militatur.

Habens fidem. Pro armis, fidem in Christo perfectam. Et bonam conscientiam. Implendo quod doces.

Quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt. Male vivendo, ipsam quoque fidem perdidit, quam habere videbantur: sive etiam jam vitia defendentes.

Ex quibus est Hymeneus & Alexander. Qui amore vitiorum, ad haeresim transierunt.

Quos tradidi satanae: ut discant non blasphemare. In interitum carnis, ut ex praesenti correptione discant futurum iudicium non negare: ad emendandum traditi, non ad perendum.

Caput II.

OB SECRO igitur primum omnium fieri obsecrationes. Obsecratio, impensior est oratio.

Orationes, postulationes, gratiarum actiones. Pro eo quod nos dignos fecit, etiam pro his qui vos persequuntur & tribulant.

Pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt. Ut cognoscant Deum: sive, ut subiectas habeant gentes. Illorum enim in pace, tranquillitas nostra consistit: sed & si nobis Christianis sit persecutionis turbatio, omnis inquietudo cessabit.

Ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Ad hoc nos vult esse quietos, ut pietate & castitate, non dissensione atque luxuria, tranquillitas nostra proficiat.

Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo. Ut quieti in sanctis operibus serviamus.

Qui omnes homines vult salvos fieri. Hic probatur nemini oportere ad credendum vim inferre, nec tollere arbitri libertatem. Sed & illud hoc loco solvitur de induratione Pharaonis, & cetera huiusmodi objectionis quaestiones.

Et ad agnitionem veritatis venire. Si ipsi tamen vocanti Deo consentire voluerint.

Unus enim Deus. Unus enim Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus: id est, una in tribus personis natura est deitatis.

Unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus. Sicut unus Deus, ita unus est mediator inter Deum & homines universos: hoc est, nullus alius talis, nec Moyses, nec aliquis Propheta: quia hic & homo erat, & Deus. Sed

quia de traditione erat dicturus, ideo hominem solummodo nominavit.

Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Ille se pro omnibus dedit, si omnes redimi vellent.

Cujus testimonium temporibus suis confirmatum est. In testimonium generi humano, sanctae vitae dedit exemplum: quia & Prophetae suis testimonium fuere temporibus: novissime autem misit filium suum ad colonos.

In quo positus sum ego praedicator & Apostolus. In Christi testimonio, sive Christo.

Veritatem dico, non mentior, doctor gentium in fide & veritate. Volo ergo viros orare in omni loco. Magister gentium dat legem orandi, ut auctoritate Salvatoris, neque in monte, neque in Ierosolymis aliquis orandi eligat locum, sed in spiritu: qui ubique nobiscum esse intelligitur. Sanè de hoc loco, & hac causa à Iudaeis mota fuit quaestio, qui in templo solummodo in Ierosolymis orare cupiebant.

Levantes puras manus sine ira & disceptatione. A corde, & sanguine, omni que opere malo. Testimonium enim innocentiae, est manuum elevatio. Non solum autem manus ab opere, sed etiam mentem ab ira & disceptationis cogitatu, qui sibi dimitti petit, debet habere mundas. Nemo aliquid impetrare potest alia cogitando.

Similiter & mulieres. Omnia quae dixi de viris. In habitu ornato. Honesto, & convenienti naturae.

Cum verecundia & sobrietate ornantes se. Hae sunt ornamenta feminae Christianae.

Et non in tortis criminibus. Non debent occasionem dare concupiscentiae.

Aut auro, aut margaritis. Quae terrae sunt partes: cujus est homo dominus institutus.

Vel veste pretiosa. Quae praeter nimiam subtilitatem, nec frigus arceat: & de cuius pretio plurimi vestiri ejusdem naturae homines potuissent.

Sed quod docet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Ista ergo non sunt promittentium, sed negantium castitatem.

Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Discat quidem, sed cum omni humilitate & charitate.

Docere autem mulieri non permittit. Publicè non permittit: nam filium, aut fratrem debet docere privatim.

Neque dominari in virum, sed esse in silentio. Ne magistrum, sibi usurpando superbiat, sed taceat in Ecclesia.

Adam enim primus formatus est, deinde Eva. Et Adam non est seductus: Mulier autem seducta. Reddit causam quare eas velit esse subiectas: scilicet quia & posteriores, in factura sunt, & priores in culpa.

In pravicatione fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem. In pravicatione fuit mandati. Sed non ideo desperet mulier: quia per baptismum quod est filiorum generatio, ipsa salvabitur: non Eva, sed credens mulier: quia Eva ad exemplum adducta est creatio: non de ipsius salute proprie tractabatur. Ceterum quomodo iustitia iusti super ipsam erit, & quomodo Noè, Job, & Daniel filios suos liberabant: sic per filios Eva salvabitur.

Si permanserint. Sicut superiores de plurali numero mulierum: ad singularem dicens, mulier in silentio discat: ita & hic rediit ad pluralem.

In fide & dilectione. Christi, & dilectione proximorum.

Et sanctificatione cum sobrietate. Notandum quod sola fides ad salutem ei qui post baptismum supervixerit, non sufficiat: nisi sanctitatem mentis & corporis habeat: quae sine sobrietate difficilè custoditur.

Caput III.

FIDELIS sermo: Si quis episcopatum desiderat. Primum laicos instituit: de quibus optimi quique in sacerdotium eliguntur, & sic dicit quales debeant ordinari.

Bonum opus desiderat. Ad boni operis desiderium eum provocat, non ad honorem.

Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse. Aut Ecclesiae princeps non erit: quam ideo Apostolus sine macula alibi definiit.

Unius uxoris virum. Viris nec hoc licet, quod velati inceperunt: multo magis illa quae etiam laico prohibentur.

Sobrius.

Sobrius. Et mente, & corpore.

Ornatum, prudentem, purum. His omnibus spiritualibus ornamentis.

Hospitalem. Ad humanitatis opus, cuncta plebs rectoris forma provocetur.

Doctorem. Tam verbo, quam exemplo. Si enim omnium vota scire voluerit, vel deberet, quomodo omnes valeant respondere: quanto magis sacerdos legem exquiret: quia angelus Dei omnipotentis est.

Non vinulentum. Ut fiducialiter possit corripere ebriosos.

Non percussorem. Sive ne sit petulans ad cadendum: sive ne malo exemplo conscientias feriat infirmorum.

Sed modestum. Qui omnia faciat cum mensura.

Non litigiosum, cupidum, sed sua domui bene praepositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Servum Dei non oportet litigare. Lites autem & jurgia maxime ex cupiditatibus oriuntur.

Si quis autem domui suae bene praesse nescit, quomodo Ecclesia Dei diligentiam habebit? Ipse in sequentibus exposuit, si filios in castitate, & humilitate nutrit: hinc ejus diligentia comprobatur: si enim filios suos erudire nescivit, quomodo tantos Dei filios gubernabit, quorum mores secundum numerum sunt diversi? vel qua fiducia, qui indisciplinatos habet filios, audebit exigere disciplinam?

Non neophytum: ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Ne nuper renatus, citò possit per ignorantiam exaltari: & putet se non tam ministerium humilitatis, quam administrationem saecularis potestatis adeptum: & condemnationem superbiae mereatur: sicut diabolus qui per iactantiam iudicatus atque dejectus est.

Oportet autem & illum testimonium habere bonum ab his qui fratres sunt. Ut sine offensione Iudaeis, infidelibus, atque Graecis, praesit Ecclesiae Dei. Omnes enim naturaliter noverrunt culpae vitia, & laudare virtutes.

Ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. Ut non vituperetur ministerium nostrum: & per illum diabolus multos in laqueum teneat, qui poterant fieri Christiani.

Diaconos similiter. Irreprehensibiles, ut Episcopi eligantur. Quæritur cur de presbyteris nullam fecerit mentionem: sed eos in Episcoporum nomine comprehenderit: quia secundus, imò penè unus est gradus: sicut ad Philippenes Episcopi ac diaconis scribit, cum una civitas plures Episcopos habere non possit: & in Actibus Apostolorum presbyteros Ecclesiae iustus Ierosolymas congregans, ait: Inter cetera videte gregem, in quo vos Spiritus sanctus Episcopos ordinavit.

Pudicos. Continentes scilicet.

Non bilingues. Sufurro, & bilinguis multos turbat, pacem habentes.

Non multo vino deditos. Concessit necessitati parum, qui voluptati amplius denegavit.

Non turpe lucrum sectari. Turpe lucrum est de caelestibus mysteriis, terrena sectari.

Habentes mysterium fidei in conscientia pura. Mysterium est, quod passio Christi redemptio est salutis humanae: si ergo intelligit purè, non confunditur de humilitate Christi. Sive si propter hoc solum praedicat mysterium fidei, propter quod debet praedicari: non ultra debitum mysterium quaesitum esse existimet pietatem.

Et hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes. Non solum Episcopi, sed & isti ante ordinationem probari debent.

Mulieres similiter pudicas. Similiter eas ut diacones eligi jubet. Unde intelligitur quod de his dicat, quas adhuc hodie in Oriente diaconissas appellat.

Non detrahentes. Quod illis vitium praecipue dominatur.

Sobrias, fideles in omnibus. In nullo dubitantes.

Diaconos sint unius uxoris viri: qui filios suis bene praesint, & suis domibus. Non ut si non habuerint, ducant: sed ne duas habeant. Si enim digniorem facit uxor, cur non magis & digami, & trigami ordinantur?

Qui enim bene ministraverint. Ostendit non ministerium tantum, sed qualitatem ministerii praemium promereri.

Gradum bonum sibi acquirere. Bonum, hic pro gradu majori posuit: sunt enim minores.

Et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Jesu. Apud

Tom. V.

Dominum petendi, & apud homines docendi, vel etiam arguendi.

Hec tibi scribo fili Timothee, sperans me venire ad te citò. Si autem tardaverò, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari: quae est Ecclesia Dei vivi. Ut auctoritatem habeas pro me omnia ordinandi, hujus Epistolae sententia confirmatus.

Columna & firmamentum veritatis. In qua nunc sola veritas stat firmata: quae ante in lege erat posita vel naturae, quae sola sustinet aedificium.

Et manifestè magnum est pietatis sacramentum. Quod scire te cupio sacramentum incarnationis Christi, per quam generi humano pietas collata est.

Quod manifestatum est in carne. Quod nunc in carne ejus declaratum est.

Et iustificatum est in spiritu. Demonstratum est. Apparuit angelis. Quando dicebant: Gloria in excelsis Deo: quando illi in eremo ministrabant.

Praedicatum est gentibus. In gentibus omne genus hominum comprehendit.

Credutum est in mundo, assumptum est in gloria. Videntibus Apostolis, ascendit in caelum.

Caput IV.

SPIRITUS autem manifestè dicit: quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide. Prophetalem inducit affectum, quod antiqui dicebant: Hae dicit Spiritus sanctus.

Attendentes spiritibus erroris & doctrinis demoniorum. Omnis haeretica doctrina, demonum arte composita est.

In hypocrisis, loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam. In hypocrisis loquuntur: qui cum non contineant, tam casti volunt videri, ut etiam nuptias damnet: tam abstinentes, ut creatura Dei parè utentes iudicent, cum ipsi comestationibus vacent. Hic verò ita castitatem & abstinentiam praedicat: ut nec naturam, nec creaturas damnet. Ad illud fortiores hortatur: istud concedit infirmis. Illi autem hoc non amore castitatis & abstinentiae, sed ad obumbrandum ejus iustitiam faciebant: sanctiores videri volentes, quam ille qui amore castitatis etiam nuptias concedebat: scilicet ne fornicationis crimen incurerent. Omnis enim qui nuptias damnat: non amator, sed inimicus est castitatis: dum & continentibus laudem tollit: & incontinentibus sublato nuptiarum remedio, fornicationis facit inire discrimen.

Prohibitum nubere: abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem: Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Si ad proprietatem sermonis attendas: monstruosa nescio quae praedicatio praedicatur: quae tam nubere, quam abstinere prohibeat dicentium haec omnia quae sequuntur.

Hae praeponeas fratribus, bonus eris minister Christi Jesu. Libram in omnibus tenens, & omnia rationabiliter, & moderate dispensans.

Enutritus verbis fidei & bonae doctrinae, quam affectus es. Quia sacris legis literis ab infantia eruditus fuerat. Verba propriae fidei, sunt traditio symboli. Bona verò doctrina, qua vita instituitur Christiana.

Ineptas autem & aniles fabulas devota. Fidei vel religioni non aptas.

Exerce autem te ipsum ad pietatem. Pietas est etiam, cum tua tribulatione aliis subvenire, sicut Sareptana vidua fecit.

Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est. Sanctorum balnearum, venationum, & huiusmodi, quae ad breve tempus in carnali proficiunt sanitate.

Pietas autem ad omnia utilis est: promissionem habens vitae, quae nunc est, & futurae. Et ad praesens tempus, & in futurum: nam & ipsa vidua & in praesenti casta est, & merces ejus manet in ea.

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. Verus sermo apud omnium conscientiam, & cui nemo resistit.

In hoc enim laboramus, & maledicimur: quia speramus in Deum vivum. Cum certum sit apud homines, nihil nos dignum odio perpetrasse. Quid aliud sequitur, quam quod

propter vitam dissimilem blasphemamur?

Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium. Omnium, in presenti fidelium, in futuro. Sive quia omnes de periculis liberat, & maxime fideles.

Præcipe hæc, & doce. Præcipe, ut fiant: doce quomodo fiant: vel quali præmio remuneranda sint.

Nemo adolescentiam tuam contemnat. Sic age, ut admirationi sis, priusquam contemptui habearis. Hoc enim illi præcipit, quod in illius potestate constabat.

Sed exemplum esto fidelium. Parvum est infidelium esse formam: apud quos qui graviora crimina non habet, magnus habetur. Hoc multum est, ut talem se exhibeat, per quem etiam sancti proficiant.

In verbo, in conversatione. Nihil aliud magis loquaris, quam Domini verbum. Notandum quia fidelibus etiam verbi præbere cupit exemplum.

In charitate. Ut exemplum illis dilectionis ostendat.

In fide. Catholica, vel perfecta.

In castitate. Mentis & corporis: cujus insignia etiam gravitate habitus præferuntur.

Dum venio attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Fac, lege, exhortare ut fiant: doce, quomodo intelligantur obscura: ut possint fieri quæ leguntur.

Noli negligere gratiam, quæ est in te. Negligit gratiam, qui acceptum talentum non exercet.

Quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. Prophetiæ gratiam habebat, cum ordinatione Episcopatus.

Hæc meditare. Omnis enim profectus ex meditatione descendit.

In his esto. Non enim omnis qui in his est, meditatur.

Ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Tunc manifestus erit, si in meditatione sis semper: & cum manifestus fueris, poterunt exemplo tuo ad meliora proficere.

Attende enim tibi, & doctrinæ instas in illis. Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt. Primo tibi, deinde doctrinæ: ut ubique & actu salves illos, & doctrina pariter & exemplo.

Caput V.

SENIOREM ne increpaveris, sed obsecra ut patrem. Ne indignè ferens se à juniore correptum, exasperetur, & non proficiat: sed obsecra, ut suo quasi pater exemplo instruat juniores.

Juvenes ut fratres. Quia hac via liberius componentur, similiter & sorores.

Annus & matres. Cum omni reverentia.

Juvenulus ut sorores, in omni castitate. Et mentis, & corporis.

Viduas honora. Necessaria præbendo vel solatio confortando.

Quæ verè vidua sunt. Illas veras viduas esse definit: quæ universis curis exuta sunt, & ab omnibus desolata.

Si quæ autem vidua filios, aut nepotes habet: discat primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum est coram Deo. Tandem regit domum, quamdiu docet filios parvulos, aut nepotes: ut quod à parentibus pietatis accepit, filiis reddat: ita tamen, ut non hac excusatione avaritiæ studeat, sed sufficientiam tantum sibi referret: & ne liberis ejus ipsa occasionem det sæculo fervendi.

Quæ autem verè vidua est, & desolata: speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die. Qualis erat Anna filia Phanuel, tales præcipit honorari.

Nam quæ in deliciis est vivens, mortua est. Quicquid modum naturæ excedit, deliciis deputatur. Hic maxime nostri temporis viduas tangit: quæ cum hominem suæ naturæ, qualicumque panno non vestiant, parietes pretiosis marmorum crustis exornant.

Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Notandum irreprehensibiles eas tam posse quam esse debere.

Si quis autem suorum, & maxime domesticorum, curam non habet: fidem negavit, & est infideli deterior. Si quis viduas abjicit, aut pupillos, vel maxime parentes & pauperes, deterior est infideli: quia & illi habent naturaliter circa proximos pietatem. Sive, si quæ vidua filios orphanos negli-

gar, hujus sententiæ crimen incurrit. Simul notandum, quosdam fideles nomine, qui infidelibus conversatione peiores sunt.

Vidua eligatur non minus sexaginta annorum: quæ fuerit unius viri uxor. Tales voluit eligi diaconissas, quæ omnibus essent exemplum vivendi.

In operibus bonis. Si ex tempore viduitatis suæ ista omnia custodivit.

Testimonium habens. Sicut Tabitha.

Si filios educavit. Subauditur, Deo.

Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit. Si non solum humilitatis habet insignia: cui non sufficit hospitio suscipere, sed etiam manu propria lavare hospitum pedes.

Si tribulationem patientibus ministravit. Hoc est, in carcere positus, vel ægrois.

Si omne opus bonum subsæcra est. Brevis universa conclusit.

Adolescentes autem viduas devota. Devota aliis ministerio diaconatus præponere, ne malum pro bono detur exemplum.

Cum enim luxuriata fuerint, in Christo nubere volunt. Cum sub eo tempore religionis abundantiam habuerint: quæ sape solet generare luxuriam.

Habentes damnationem: quia primam fidem irritam fecerunt. Quæ se viduas promiserant permanuras. Hæc regula non solum in viduis, sed in virginibus continentibus, quæ primam fidem irritam fecerunt, intelligenda est.

Simul autem & otiosa discunt circumire domos. Divino minime timore detentæ, nec mariti potestati subiectæ, nullaque cura domestica occupationis adstrictæ.

Non solum otiose, sed & verbosa, & curiosè loquentes quæ non oportet. Dum voluntatis suæ cupiunt præbere exemplum.

Volo autem juniores nubere: filios procreare. Volo: quia necesse est ut tales ante hoc faciant, quam illud promittant: inde si transgressæ fuerint, damnationem acquirunt.

Matres familias esse. Matres familias dici possunt, etiam quæ duos habent vel tres servos: hoc dicit: ne ex hoc nomine avaritia defendatur.

Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Si incontinentes sunt: vel ne per illas religio blasphemetur.

Jam enim quædam conversa sunt retro post satanam. Reddit causas quare eas nubere velle prædixerit: ne eum putaremus optare: quia quædam promissum propositum Deo non reddentes, fuerant fornicatae.

Si quis fidelis habet viduas, ministrat illis, ut non gravetur Ecclesia. In domo propria, ut parentibus.

Ut his quæ verè vidua sunt, sufficiat. Quæ sunt omnium auxilio desolata.

Qui bene præsent presbyterii. Qui implent officium suum.

Duplici honore digni habeantur. Et officii, & doctrinæ.

Maximè qui laborant in verbo, & doctrinæ. Non dixit omnium qui habent verbum, sed qui laborant in verbo. Cæterum omnes habentes præcipit ordinare.

Dicit enim scriptura: Non infrenabis os bovi trituranti: & dignus est operarius mercede sua. Vult illis præstare carnalia, à quibus alii spiritalia consequuntur: quia occupati in doctrinæ, necessaria sibi providere non possunt.

Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Injustum est etiam adversus laicum accusationem recipere, cum hoc nec seculares faciant: quanto magis adversus Domini sacerdotem?

Peccantes coram omnibus argue. Si de illis fuerit comprobatum.

Ut ceteri timorem habeant. Videntes te nemini pepercisse.

Testor coram Deo, & Christo Jesu, & electis angelis ejus, ut hæc custodias sine præjudicio. Obtestatur illum divina & cælesti testificatione, ut nulla illi res præjudicet ad ista servanda, nec electi angeli, qui sacris assistunt altaribus.

Nihil faciens in alteram partem declinando. Neque in dexteram neque in sinistram.

Manus cito nemini imposueris. Nisi talem inveneris qualem dixi.

Neque communicaveris peccatis alienis. Communicare eum dicit peccatis, qui non probatus fuerit ordinatus.

Te ipsum castum custodi. Non alios custodire præcipit, ut possit audenter arguere delinquentes.

Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Ne putaret etiam abstinentiæ se formam infirmis dare debere: maxime cum audierit à magistro dicente: omnibus bonum esse non bibere vinum. Dat ergo ei consilium, ut plus doctrinæ causam, quam abstinentiæ curet: & simul ostendit quæ infirmitates creaturarum medicina possit sanare.

Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium. Detecti excommunicantur: sive plagis presentibus damnantur.

Quorundam autem & subsequuntur. In futuro judicio: sive hic diu latere non possunt: non ergo debent facile ordinari.

Siniliter & facta bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt. Non enim potest abscondi civitas supra montem posita: sed etiam quæ ad tempus latent, non possunt diutius occultari.

Caput VI.

QUICUMQUE sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur. Non solum bonos, sed etiam infideles.

Ne nomen Domini, & doctrinæ blasphemetur. Ne videantur per religionem, in deterius proficere.

Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt. Ne sibi æqualem contemnant.

Sed magis serviant: quia fideles sunt & dilecti: quia beneficii participes sunt. Si serviant infidelibus timore odio: quanto magis debent servire fidelibus, quorum charitatis participes esse merentur.

Hæc doce, & exhortare. Doce, ita debere fieri: exhortare, premium ostendere Deum.

Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi: & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ. Novi testamenti: veteris enim severa doctrina est.

Superbus est, nihil sciens. Super alios se extollens, cum non sit desultum veniens, quam prædicat sapientiam.

Sed languens circa quæstiones. Nec enim reculantem penitus fidem, moritur, nec adversitatis scientia convalescit, sed diversis occasionibus languet.

Et pugnas verborum. Relicto sensu veritatis ambiguitates verborum observant: sicut Manichæi ex verbo, diversitatem testamentorum.

Ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemæ. Quæ generant lites ac blasphemias, in Deum pugnando sermonibus.

Suspiciones malæ. Sive hæresim de altero suspicantur, sive audientes putant efficere veritatem.

Consultationes hominum mente corruptorum: & qui à veritate privati sunt. Ab integritate Evangelii, vel naturæ.

Existimantium quæstum esse pietatem. Qui putant quæstum sui causâ, novum venisse testamentum.

Est autem quæstum magnus, pietas cum sufficientia. Multum inquit qui habet pietatem, non sufficientia non luxuriæ, sed naturæ est. Sive sicut pietas est cultura Dei: ita impietas est contemptus.

Nihil enim intulimus in hunc mundum: hæud dubium quia nec auferre quid possumus. Nudi nati sumus, nudi etiam morituri. Quicquid hic invenitur, hic relinquetur: non est nostrum, quod non semper nostrum est. Tanquam peregrini ergo sufficienti usu contenti simus: illas divitias acquiramus, quas nobiscum ad cælestem patriam ferre possimus.

Habentes autem alimenta, & quibus tegamur: his contenti simus. Superius dixerat sufficientiam: quicquid his amplius est, divitiis deputatur.

Nam qui volunt divites fieri. Voluntatem divitiarum definit: quæ voluntas, & habentibus est, & quærentibus.

Incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. Occasione tentationis est, & laqueus diaboli, velle habere divitias.

Et desideria multa, & inutilia, & nociva. Nunquam ergo divitiarum desideria satiantur.

Quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Dum ambitione bonorum tumentes, ad cæcos elevati, usque ad inferos demerguntur: sive desiderantes alienas opes, ut Achab, ut-

Tom. V.

que ad homicidii perveniunt factiones.

Radix enim omnium malorum est cupiditas. Quia & fons est, & omnium criminum augmentum. Radix excisos semper densius reparat ramos: evellenda est ergo radix, ne rami superflue excidantur.

Quam quidam appetentes erraverunt à fide. Hoc est, recesserunt à fide promissorum Dei, dum presentibus oblectantur.

Et inseruerunt se doloribus multis. Quanto amplius habuerint, tanto plures sollicitudinum sustinent cruciatu: unde & Dominus divitiarum ærumnas circa reliqua concupiscentiæ verba asseruit suffocare.

Tu autem, o homo Dei. Non divitiarum homo: sed, Dei: nec mammonæ servus, sed Christi: cujus sunt omnia quæ videntur.

Hæc fuge. Quasi causas perfidie, vel dolorum.

Sætare verò justitiam, pietatem, fidem. In his te cupio divitiis esse locupletem.

Charitatem, Dei & proximi.

Patientiam, mansuetudinem. Patientiam sustinendi, mansuetudinem non nocendi.

Certa bonum certamen fidei. Bonum certamen est, non pro rebus sæculi, sed usque ad mortem pro fidei veritate certare: sicut scriptum est: In justitia agonizare pro anima tua: & usque ad mortem certa pro justitia. Sive ut illi student in divitiis omnia vincere, ita & tu in fide.

Apprehende. Quomodo ego comprehendit.

Vitam æternam: in quam vocatus es. Ut illi gerere cupiunt temporalem.

Et confessus es bonam confessionem. In baptismo abrenunciando sæculo, & pompis ejus.

Coram multis testibus. Sacerdotibus, vel ministris, virtutibusque cœlestibus.

Præcipio tibi coram Deo. Præcipit autoritate magistri.

Qui vivificat omnia. Omnia quæ vivunt, etiam si æresant, per ejus potentiam reviviscunt.

Et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem. Dicens ad Pilatum: Ego ad hoc veni in hunc mundum, ut testimonium perhibeam veritati, scilicet pro ea etiam moriendo.

Ut serves mandatum. Sicut ille usque ad mortem.

Sine macula irreprehensibile. Maculat quodammodo, & reprehendi facit mandata, qui peccat.

Usque in adventum Domini nostri Jesu Christi. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Quem suis temporibus ostendit beatus, & solus potens, rex regum, & Dominus dominantium. Quando voluerit qui hoc solum potest Deus.

Qui solus habet immortalitatem. Ille solus propriè habet, qui angelis, & hominibus dedit habere. Nos autem nec soli nec nobis habemus ut ille: Hoc contra Manichæos qui mali naturam putant immortalem atque perpetuam.

Et lucem habitat inaccessibilem. Omni creaturæ. Nemo enim novit patrem nisi filius: neque filium nisi pater: & spiritus sanctus, utrumque etiam scrutatur profunda Dei.

Quem nullus hominum vidit: sed nec videre potest: cui est honor, & imperium sempiternum: Amen. Nemo novit, sed unusquisque pro merito intelligit. Nam solem tanto amplius vident singuli: quanto purior fuerit acies oculorum.

Divitiis hujus sæculi præcipe. Sunt & alterius sæculi divites, qui emunt sibi aurum ignitum à Deo: & qui habent aurum in cælo, nec non qui proferunt nova & vetera.

Non sublime sapere. In primis principalem eorum tetigit morbum. Difficile divitem invenies non superbum, qui pauperes vel parentes agnoscat: & qui non graviter ferat minime sibi ab inferiore honorem deferri.

Neque sperare. Non sperando vilescunt: & cum spernantur, erogantur.

In incerto divitiarum. De quibus incertum est utrum illæ tibi, an tu illis celerius subtraharis: multis enim cum vita sublate sunt. Alii propriis eas auferri oculis viderunt: nonnulli etiam inviti extraneis reliquerunt.

Sed in Deo vivo. Cujus sunt omnia.

Qui præstat nobis omnia abundè. Qui ideo abundè præstat, ut vivamus, etiam aliis largientes: non ut grandi labore destruentes, majora horrea faciamus.

Ad fruendum. Non ad occultandum, vel negotiandum.

Z z z ij